

**Disquisitio philosophiae naturalis de partu septimestri ... / sub praesidio  
Valentini Greissing ... subjicit limae Michael Gütschius ... M. DC. LXXVII.**

**Contributors**

Greissing, Valentin von.  
Gütsch, Michael.

**Publication/Creation**

Wittebergae : Typis Christiani Schrödteri, [1677]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/me2q79g8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

לתהלה ולשם יהוה †

Disquisitio

Philosophiæ Naturalis

De

# PARTU SEPTI- MESTRI

Quam

in alma ad Albim Leucoréa

Duce ipso Naturæ Parente, ac Naturâ Præsule,

Sub Præsidio

VIRI Nobilissimi ac Præclarissimi

DN. VALENTINI GREISSING,

Nob. Transsylv. A. A. LL. & Philos. M.

SS. Theol. C.

Patroni ac Conterranei singulari obser-  
vantix cultu prosequendi,

publicæ

Sobriè philosophantium subjicit

limæ

MICHAEL GÜTSCHILS Kisdinó Transsylv.

SS. Theol. & Philos. Stud.

Anno

AERÆ CHRISTIANÆ M. DC. LXXVII.

ad diem XXXI. Martii.

H. L. Q. S.

---

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI,

PHILOSOPHIAE NATURALIS  
INSTITUTIONES  
P. 1.

# PARTU SEPTI MESTRI

in alma ad Altiore Lencora  
Cur ipso Natus P. 1. ad Natus P. 1.  
25. P. 1. ad Natus P. 1.

DR. VALLENTINI GRISSING

Nob. Facult. A. A. L. L. & Philol. M.  
25. Theol. C.

Patron. & Conterent. singulari oblat.  
vener. vobis in obsequio

Sobne o. h. o. p. o. n. t. i. n. i. s. i. b. i. c. i. s.

MICHAEL GÜTSCHMIDT Kabiné Facult.

25. Theol. & Philol. Stud.

M. D. C. LXXV. M. D. C. LXXV.

ad hunc XXXI. Blatt.

H. L. G. 3.

Disquisitio  
DE PARTU SEPTIMESTRI.

CAPUT I.

De Vocis enodatione.

§. 1.



Erba sunt signa rerum, quæ potentia cognoscitivæ sua signata representant notificantque: & cum mediantibus his ut plurimum in rerum cognitionem provehamur, (quis enim in tanto naturæ luxu, res singulas contemplari valet? cujus infinita rerum naturalium genera subjiciuntur oculis?) necessitas ipsa efflagitat, ut, si ea ipsa ex communi hominum instituto & usu sint obnoxia variis significationibus, notentq; diversas res, ab hac liberentur, ne sine suo, qui est, certi quiddam cognoscenti facultati substernere, & consequenter eam in actibus cognoscitivis dirigere, excidat. Quod nisi fiat, misera rerum confusio, ac uberrimus errorum cumulus insequetur. Errorum enim genetrix æquivocatio semper. Hoc, ut hac vice ante veniamus, *terminorum* cum *incomplexè*, tum *complexè* consideratorum & originationem & variam acceptionem indagabimus.

§. 2. Primo loco verò *ly Partus* se offert expendendum; quod à *pariendo* originem trahit. *Pario* autem (quod *proprie* significat, foetum emitto, in lucem edo, enitor; *Metaphorice* produco, comparo, acquiro, creoo: Veteribus & in 4. usitatum *α*) *Martinio* *β*) à *par* est, eo, quod ex uno individuo duo faciat; unde & *prægnans* Germanis dicatur *Selbander* quia *pariens* licet sola appareat, sit quasi duplex. Eidem etiam refertur ad *Paro*, quod in eodem sæpius occurrant sensu. Analogiam etiam & prolationis & significationis laudato Mart. videtur habere cum Hebr. פָּרָה fructificavit, (Buxtorff. *γ*) fructuosus fuit, fructum edidit, foetavit, foetificavit.) hinc & פָּרָה fructus, foetus, ἐκγονον etiam de liberis usurpatur: ut & פָּרָה creavit: & cum chald. פָּרָה quod interdum gignere, ita enim illud Ezech. *δ*) פָּרָה נִבְרָה per *γεννησασα* reddidere LXX. Interpretes: imò & ipso פָּרָה filius, cum parere sit, filium vel filiam procreare. Acutum sanè & politum quid redolet hæc originationis, quantum quidem iudicio assequi

*α*) Pon  
*Buccor*  
*Etov.*  
*β*) Le  
*Philol.*  
*2519.*  
*γ*) Lex  
*Hebr.*  
*Chald.*  
*δ*) c. 21

tatis linguarum autorem, plurimas voces, paucis duntaxat in iisdem immu-  
tatis, in ipsa linguarum confusione, ex primigenia retinuisse. Pario au-  
tem etsi de muliebri sexu plerumq; tamen & de virili dicitur, ut ex Cœcil.  
sæpè laud. Martinius l. dict. observat.

§. 3. Sicuti jam ipsum *primitivum* variis acceptionibus substat, ita &  
ejus *derivativum Partus*. Capitus autem (1) *Propriè*, & sic notat (a) ipsam  
actionem expultricis facultatis, sive ipsum pariendi actum, ut autor est Ga-  
len. s) (b) pro ipso foetu sive prole, sic occurrit ap. Plin. ζ) *Ex his quatuor*  
*partus enixa*; ut & Poetas, Oratores, Medicos, Jctos (c) pro abortu, quam-  
vis non ita propriè sed æquivocè, dicitur hic partus abortivus, & contra di-  
stinguitur partui, qui fit secundum naturam: hic enim semper aut præter,  
aut contra naturam accidit, & propriè dicitur abortus. Hoc sensu l. Di-  
vus ff. de Var & extraord. crimin. usurpat, dum *abigere partum*, pro *abor-*  
*tum procurare*, ut exponit Glo. dixit: in eadem etiam acceptione venit a-  
pud Hipp. η) Galen. θ) adductos à Paul. Zacch. ι) (2) *Metaphoricè* & qui-  
dem sic (a) *adjectivè*: *Libertas plurimo sudore & sanguine majorum parta*,  
sic apud Cic. Terent. & alios probatæ Latinitatis autores (b) *substantivè*, quo  
modo usurpat Buxtorff. κ) cum *res omnes creatas partum Dei* appellat;  
Consul. & Lexicogr. A nobis impræsentiarum attenditur *Partus propriè sic*  
*dictus in secunda* significatione.

§ 4. Evolutâ prioris notionis notatione, posterioris quoq; paucis in-  
vestiganda, cum præcipuè circa hanc, partim inter Naturæ, partim inter Ju-  
ris consultos, partim deniq; inter utrosq; maxima agitetur controversia. *Ly*  
*Septimestris* verò compositæ figuræ est, ex septem & mensis, ita ut idem so-  
net, quasi septem mensium. Duplex autem mensis dum sit, *Solaris* videl.  
& *Lunaris*, quis hic accipiendus sit, non omnium una mens est. Quidam e-  
nim *Solarem*, quidam *Lunarem* acceptandum esse accerrimè fervideq; con-  
tendunt. Est hinc quæstio ac conclusio isthæc impræsens à nobis expen-  
denda, perplexa alioquin & intricata suâ naturâ, perplexior ac intricatior  
redditur. Operæ pretium ergo nos facturos remur, si, quid *Solaris*, quid  
*Lunaris* mensis illis sit, observemus. *Solarem mensem* 30. diebus comple-  
tis uno ore faretur omnes; at circa *Lunarem* admodum variant. Læv.  
Lemn. eum Lunæ ambitu desinit, qui quatuor hebdomadis, hoc est, plus  
minus octo viginti dierum revolutione perficitur λ) Mox verò aliter eum  
hac ratione describit idem Lemn. υ) *Perficitur, inquit, Lunæ ambitus septe-*  
*nis vicenisq; diebus, & tertia diei parte, qui dies plus minus quatuor septi-*  
*manas*

mas, quò sidus hoc occultatur, nec fit conspicuum. Siquidem triduo plus minus in coitu, h. e. ut vulgo dicunt in conjunctione morata invisibilis est. Zacch. in triplici differentia, hos menses positos esse cum citatis à se autotibus asserit, v) & eos præprimis hæc accipi vult, qui *Menses conjunctionis seu Coitus Lunæ* dicuntur; & hi menses, eos, quos excluderat Lemn. dies includunt, ut elicere licet ex Zacch. ξ) asserente novem menses constare ducentis ac sexaginta quatuor diebus: jam si dividas hos per 9. cui libet mensi assignantur 29. dies, remanentibus 3. diebus, quos vicissim divide per 9. & cuivis mensi tribuentur 8. horæ, quæ tertiam diei absolvunt partem. Alios porò menses recenset Henr: Hahn. o) ex Jacob. Menoch. π) quos periodicos & peragrations nuncupat, quibus 29. dies & 15. horas adscribit. Ob iter ad huc hæc observes mensem 7. hoc loco non completè, nec determinatè inchoatè accipi, vid Hahnus e)

§. 5. Et sic fuere termini seorsim & incomplexè considerati, sequitur terminus conjunctim & complexè spectatus: Qui denuò duplicem importat significandi rationem (1) ipsum pariendi actum septimestrem notat, (2) ipsum infantem septimo mense in lucem emissum. Quæ significatio hæc obtinet. *Anne vero perfectè à natura elaboratus, ac vitalis suâ naturâ esse possit?* in præsentis disquiremus.

## CAPUT II.

### De causis extrinsecis.

§. 1. Materiam præsentis disquisitionis præcedente capite determinavimus, ut igitur eam nobis exactè persequi, in quæsitâ cognitionem & scientiam devenire liceat, principia ejus perspicienda veniunt atq; causæ, tam productivæ, quàm constitutivæ ac cognoscitivæ. Quoniam vero hæc cum ipsis principiis rei materialitèr identificantur, ac à parte rei unum sunt, & non nisi formalitèr diversificantur, adeoq; etiam extra subjectum quærenda non sint, ut benè monet Cornel. Mart. σ) majori curâ & sagaciori principia essendi scrutanda veniunt; præcipuè cum nihil sit in effectu, quod non prius fuerit in causis. Quia autem effecti rationem habet foetus septimestris, quâ talis, omnino necesse est, ut à causis etiam, qua talis, dependeat. Quippe nihil est in effectu, quod dependentiam à causa aliqua non involvat, ut dictum, secus si foret, esset aliquid à seipso, quod tamen in Scientia Naturali inauditum, quæ pro dogmate catholico habet, *Nihil esse sui ipsius causam*; puta positivè non negativè, hòc modò unicum Ens, qui est

apb. seipso, ita multò minimùs erit aliquid effectum, quod non etiam habeat  
gen. suam causam, sic enim esset dependens & independens, quod ut in Philo-  
s. 2. c. 3. sophia implicat, ita etiam in eadem absolum & absurdum est. Varianti-  
m. 2. bus vero principiis ac causis, quam quælibet exerceat causalitatem, hoc &  
sequente capite videbimus.

§. 2. Inter principia vero productiva & causas efficientes præce-  
dunt *Universales*, quæ naturâ suâ non sunt determinatæ ad unum effectum  
producendum, sed indifferentè se habent ad plures & quidem simultaneos,  
quos una cum particularibus progenerant. Hæc verò dupliciter variant;  
alia enim *simpliciter talis est & absolutè*, quæ omnium aliarum causarum  
subordinatarum influxum & operationem antevertit, utpote à qua reliquæ  
in esse & operari dependent, & hæc est DEUS T.O.M. omnium rerum cau-  
sa universalissima, omnes alias causas in essendo conservans, in operando  
adjuvans, atq; in earundem actiones suavissimè coinfluens. Verum enim  
verò cum hæc causa ita influat, ut causarum particularium & subordina-  
rarium vires deficientes nec suppleat, nec sufficientes imminuat, adeoq; eas  
in operando non impediatur (si enim causa immediata in actu deficit, causa  
mediata & remota virtute sua id non supplet, verum æqvè ad deficientem,  
ac ad non-deficientem, sine omni deficientiâ concurrat. Nec etiam hic  
defectus eidem ad scribendum, cum causæ in supremo gradu perfectæ, defe-  
ctus sine mentis deliquio assignari nequeat.) verum in operatione ordinariè  
promoveat, hæc præcisè in causa esse nequit, quòd partus 7. mense perfe-  
ctionem affectus in lucem prorumpat: *necessitas enim effectus non depen-*  
metaph. *det per se à causis remotis*, ut habet sum. Rev. ac Magnif. DN. D. Calov. v)  
n part. *Vir in eolumè Orthodoxæ, & fulmen heterodoxæ Ecclesiæ divinâ providentiâ pro-*  
tract. *genitus*. Cum igitur hanc causam nõ necessariò necessitate physicâ sequatur,  
7. art. alioquin omnes septimo nascerentur mense; attamen quia secundum ejus  
s. 2. sub- præscriptum causæ naturales operantur; citra ejus enim influxum ac coo-  
2. c. 10. perationem, concursumq; activitatem suam exerere nequeunt, vid. Scheibl.  
5. 5. φ) Dicimus, Deum in tantum P. S. causam esse, in quantum pro Architecto-  
metaph. nica sua sapientia, naturæ rationali potentiam & facultatem indidit diver-  
c. 22. sò nascendi tempore, ac in ejus operationes coinfluit. Alia porrò *Univer-*  
art. 2. *salis causa est respectivè talis*, quæ quidem ad unum effectum non ordinatur,  
81. sed est indifferens ad plures; habet tamen ad huc se universaliorem, qualis  
4. §. 3. causa Sol est, cum toto astrorum exercitu, quæ causa hæc maximè attendi-  
tur, & in præcipuis causis Partus Septimestris numeratur, conf. infra. x) Li-  
cet

cet verò causã remotã ab ipsis proximis in agendo ad hunc vel illum actum  
 determinantur, nihil tamen obstat, quin præcipuas vires in operando con-  
 ferant, præprimis cum uirtutes agentium naturales plurimum ab hæc pen-  
 deant. Nec idcirco cum delirantibus Ægyptiis ingeniosissimis ceteroquin,  
 qui in admirationem Virtutum soli stellati abrepti, id unicum ferme o-  
 mnium rerum sublunarium principium ac causam statuere, ut refert Baeco  
 de Verulamio  $\psi$ ) Athanas. Kircher  $\omega$ ) imò eò dementiæ progressi, ut  
 adjecerint, *nihil aliud esse firmamentum, quàm librum, stellis veluti litteris*  
*quibusdam insignitum, ex quarum combinatione, omnium seculorum eventus,*  
*decretaq; hominum, Dei digitò inscripta legantur,* ut loquitur Zoroaster a-  
 pud Kircher. a) qualia habentur & apud Henr. Cornel Agripp. b) & menti  
 & sententiæ eorundem prophanae calculum subjicientes, deliramus, ac uni-  
 tam P. S. causam, Virtualemente astrorum contactum, statuimus: Ut ergò ju-  
 remerito ab Ægyptiacæ sapientie altitudine, à sapientia Christianum no-  
 men profitentium longã intercapedine, remotã; insuper etiam impiã su-  
 perstitione exuberante, iudice Conring. c) totò animò abhorremus; ita &  
 Frischlinum improbamus asserentem. d) *Cælò stellas ornatùs tantùm gratiã*  
*inditas esse, non secùs ac cœnacula emblematis & tessellis exornantur.* Cum  
 Naturæ Naturatæ contemptus & detractio, ipsi Naturanti detrahat, judi-  
 cante Thoma & cum eodem Alsted. e) Regium ergò tenentes callem aimus:  
 Corpora cœlestia unã cum causis proximis ad productionem foetus Septi-  
 mestrus coinfluere virtutibus suis, quas, uti formas, à mente Cosmote-  
 chniti, sortita sunt; cum operationes formas suas, tanquam causas per ema-  
 nationem necessariò insequantur, cum iisdemq; indivisibili nexu cohæreant.  
 Suffragatur sententiæ nostræ Lemn. infra f) in partes nostras adscitus. Quæ  
 ipsæ virtutes cœlestes, cum universam naturæ sublunaris faciem in diversas  
 cogant concitentq; generationes & alterationes, ut videre est ap. B. Sper-  
 ling. g) Algazaliel Arab. h) Euseb. i) Minut. Felic. k) Ortlob. l) cur non  
 se in generatione P. S. exererent?

§. 3. Has causas remotas sequuntur proximæ, quæ esse causari sui, ad  
 quod ordinatæ sunt, proximè influunt, ut enim hæc in virtute superiorum a-  
 gunt, ita superiores sine his nullam generationem perficiunt. Relinquitur  
 ergò & in ipsa P. S. generatione prærequiri causas immediatas, quæ per con-  
 tactum phylicum, qui in approximatione ad eundem consistit, ejus esse in-  
 fluant. Has utrumq; Parentem asserimus, à quibus P. S. in quantum ta-  
 lis proximè producit, firmat nostram sententiam laudatus B. Sperling. m)  
 Quia verò nullum suppositum immediatum suarum actionum & passionum

$\psi$ ) de S  
 $\omega$ ) Oca  
 Ægypt.  
 2. part  
 a) in Af  
 ut & pa  
 l. 3. Ob  
 Pamph  
 b) l. 1. C  
 Occult. l  
 c) l. de I  
 mog. Æ  
 med.  
 d) l. 1. A  
 e) l. xi  
 Th. c. 4  
 p. 15.  
 f) c. 4. S  
 g) Inst P  
 l. 3. c. 4  
 4) 15.  
 h) l. de In  
 ent. cœl  
 i) l. 3. c. 3  
 Præpat  
 Evang.  
 k) in Oe  
 l) disp. de  
 pen. 4. 6  
 m) tra  
 de Form  
 in uter.  
 prin-  
 q. 1.



1. Part. principium est, sed in us im mediatum aliquod requiritur, secundum quod aptæ natæ sint vel imprimere vel recipere actionem, vid. Thom. n) consequens est ipsos parentes vi ac potentiâ aliquâ pollere, quæ effectui respondeat.

§. 4. Ut enim supponimus parentes P. S. procreantes, potentiâ generandi esse instructos; ita præter hanc, quæ nec ipsa immediata immatione scil. virtutis causa est, alioquin omnes infantes 7. excluderentur mense, quod tamen non fit. Quæ quidem virtutes & dispositiones ex parte utriusq; parentis variant. Quædam enim in utroq; quædam in uno tantum offenduntur.

1. tit. 2. n. 172. Mund. ter l. c. 3. de form. n. c. 7. p. 27. Instit. l. 4. c. 7. 644. de Ele- mt. q. 6. 16.

§. 5. Et quidem (1) inter ea, quæ ex utriusq; suppositi generantis parte requiruntur, facile primum locum meret ipsa temperamenti natura; si enim gaudeant temperamento simplici calido, in quo calor excedit superatq; frigiditatem, reliquis duabus æqualitatem servantibus, facile hariolari licet, eos maturos, non tamen immaturos progignere liberos. Calor namq; tam intrinsecus, quam extrinsecus præcipua foëtus absolutionis & maturioris perfectionis causa est, ut videre est ap. Zacch. o) favet etiam nobis Athanas. Kirch. p) *Quemadmodum, inveniens, in corpore humano Microcosmo calor per omnes totius corporis meatus diffusus, spiritibus omnia animat, vivificat, instaurat, agit. una cum humorum massa conjunctus: Ita & natura opifex non minori providentiâ Geocosmum constituit, ignibus copiosissimis & uberrimis illum pro tanta molis ratione instruens, ne alicubi deesset, quod naturalibus operationibus tantopere est necessarium. Est itaq; corpus humanum i. e. Microcosmus, aëre, igneis spiritibus atq; humoribus refertus, est & Geocosmus.* Unde & B. Sperling. q) *communissimū nature instrumentum* andit. Quandoquidem verò calor attenuat, solvit, digerit, concoquit: Conf. Sperling. r) & hoc in omni rerum naturalium generatione præstat: Zanard. s) omninò idem munus exsequi in hominis procreatione non dubitamus. Quippe vi calevactivâ ipsa fætus materia, tum in ipsis generantibus, ante generationis actum, tum decidua & postquam in uterum recepta est, concoquitur & elaboratur, ut eò aptius sit ad in fluendum esse sui materiati.

§. 6. Deinde & ipsa facultas generandi in determinata, hæc quædam obtinet causalitatem. Prout ergo naturæ rationales, quolibet tempore Venerefrui vel abstinere pro arbitrio possunt, nec adeo restricta illis à natura assignata est generandi potentia; sic etiam naturæ consentaneum videtur, eas non habere ita definitum in utero existendi tempus. Quod si namq; opti-

optime a natura elaboratam naturæ ruerint materiam, neque ejus cautitas aliundè impediatur, proximè constituto partus termino in lucem prodire tentant, ac nisi per accidens impediuntur, prodeunt; favet nobis hac in parte Horat. Augen. f) & nunquam satis laudatus Sperling. r)

§. 7. Ex parte unius suppositi & quidem ipsius prægnantis, quæ, si sit vel (1) Temperamenti calidi, (2) vel sanguinè infantis pabulo abundet, vel (3) utero sit angustiore, (4) sit corpore valens, (5) Cibis noxiis memoratas causas non impediat; partum septimo mense excludere, asserimus.

§. 8. Temperamentum calidum enim confert ad majorem & celeriorum genituræ concoctionem & nutritionem, ut dictum, imò eam perficit, eidemque membrorum efformationem ac conformationem inducit, (facultas enim efformatrix non agit sine calore) quò citiùs igitur infans organizatur ac efformatur, eò citiùs etiam perfectionem suam assequitur, consul. Lemn. u) Sicuti etiam carnes igni diaconico intensiori appositæ, citiùs coquuntur, quàm quæ remissiori; & fruges majori Solis æstu expositæ, celerius maturescunt, quàm quæ minori: parili ratione calor maternus ac insitus, quò magis intenditur, eò magis foetum ad perfectionem promovet, quo plus verò remittitur, eò serius ejus concoctionem, organizationem, nutritionem & subsequentem perfectionem operatur.

§. 9. Sanguinem verò abundantem affluentemque ut præcipuum à natura destinatum partus nutrimentum (quæ affluentia non aliundè quàm à calore provenit, ut testatur Zacch. x) ipsum maximè perfectionare, naturæ valdè congruum est. Experimentiâ plus centies constat, eos, quibus sufficiens alimentum ubera materna præstant, validiores, fortiores, alacriores, imò & staturâ superiores esse: eos autem quibus parcè adeò & minùs sufficiens, imbecilliores, infirmiores, graciliores ac staturâ minores existere. Quod si ergò in exclusis apparet alimenti ubertas, eaque natura eos celerius ad perfectionem majorem deducit, quidni id in inclusis etiam efficiet? Natura enim in similibus simili ratione operatur. Jam ergo Naturæ quod in uno tribuimus, in altero derogabimus? an verò in simillimis operationibus, diversam inire operandi viam a jemus? Neutiquam. Siquidem quod de uno similibus affirmatur, id probabile est de altero similiter affirmari; Si-

f) lib. 1. d.  
Part. hu

c. 14.

t) de form  
hom. c. 9.

u) l. 4. de c  
cult. Na  
Mir. c. 23.

x) l. 1. tit.  
qvæst. 6. n.

p. 12.

Mater Natura, mediante Solis calore, frugum apricantium maturitatem ocyus efficiat, quam earum, quæ locis frondosis & umbrosis à benigniori Solis vultu arcentur & excluduntur: cum & in fundo fecundiori fructus citius enascantur, adolescant & maturescant, & quidem ex instituto naturæ, quàm in torrido horridoque: omninò idem mediante calore materno, in generatione sublunarium principis, eandem operari, statuendum venit. Homo omnium rerum, quas orbis continet, ornatus ac finis est, majori ergò & blandiori curâ à Natura fovetur. Ea propter quæ circa aliarum rerum generationem, infra illius nobilitatem constitutarum, operatur; ea etiam circa ipsius hominis productionem non minori, sed majori solertiâ operatur. Quanta quæso hæc Naturæ aut inertia, aut inclementia foret, alia calore nobilissimo suo instrumento celerius performare ipso homine? annonne hac ratione majori curâ servum, minore completeretur dominum? Quod quam absolum sit in ipsa Scientia Naturali, quilibet videt. Vidit hoc, & evidentiâ rei commotus fassus est Zach. y)

l.c.  
§. 10. Uteri angustias, (quas dari ex temperamentorum varietate colligitur: ex qua & ipsa partium corporis diversificatio in individuis resultat,) quod concernit, non minima eæ ipsæ Partus S. causa sunt, & hoc indè liquet, quod partus, quò majorem acquirit quantitatem, eò majorem requirit locum & domicilium, cum locus & locatum eandem habere debeant quantitatem, nec locatum locum quantitatis mole excedere queat: quod si jam eidem amplior locus negetur, necesse est, ut eum mutet, spaciosioremque quærat, ne angustis domicilii, quod aliàs necessario contingeret, suffocetur, ut habet Medicorum princeps Hippocrates.

§. 11. Robur etiam ac valetudo in utroque parente, in primis verò in prægnante requiritur; ut foetum eò benignius fovere, eidemque sufficienti nutrimento succurrere possit, quod non eveniet, si cum continuis morbis colluctans delassata ac enervata fuerit, quo in casu naturâ sui conservationem prius intendente, ac vires ad eandem tuendam conferente, ut plurimum paullò sanguinis alimentò proli subvenit, unde accidit, ut perfectio ejus celerior impediatur: habet se ergo valetudo instar causæ sine qua non.

§. 12. Cibos etiam causalitatem heic licet per accidens obtinere, vix quendam inficiaturum confido, qui novit, eos variis constare rebus, quæ diversis instructæ sunt qualitatibus, vim prolificam caloremque innatum vel augmentibus vel minuentibus, consul. Lemn. z) Unde & cibi calidioris naturæ eò ipso, quò calorem innatum conservant, incitant, adaugent, & prolis pabulum progenerant, ut supra ex Zacchia notavimus: de quibus pluribus Medici. Sic etiam sal vim generativam inhibet, uti videre licet ap Lemn. α) unde & sterilitatis nota, ut ex Heins. β) benè notat Nobilis. Dn. Præses γ) imò eam etiam acuit, uti ex Jon ton. δ) idem observat l. dicto Imò à ciborum bonitate vel malignitate ipsa corporis sanitas & ægritudo dependent, ut experientiâ & Medicorum assertione constat. Quod si aquæ quoque aliquam assignarem activitatem, non committeremus aliquod absurdum philosophicum; Aquæ enim elementum, ut omnium rerum, ita & humani generis præcipuum alimentum est. Nullus cibus aquâ caret. Aqua & farina conficitur commune mortalium pabulum, panis. Aquâ elixantur carnes, immò & ipsa tosta, quæ tamen haud aquâ indigere creduntur, eam intimè continent: hac mediante à calore concoquantur, & esui apta redduntur. Aqua decedens humidum restituit. Cogita quicquid voles, elementa solùm cum corporibus simplicibus præscinde, aquâ constare deprehendes, etiam delicatissimos, quos hominum an industria, an luxus exquisivit, dapes. Audi ergò, cum ea in vita communi nihil offendatur frequentius: & verò eæ variis instructæ virtutibus pro ratione corporum, quæ illi junguntur: *In aqua enim varii colores, odores, sapes, viresq; varia*, ut habet Per-quam. Rev. ac Præ-clar. Dn. M. Frimel, Patronus meus omni observantiæ cultu observandus, ε) & hæc virtutes omnes distinctas formas, accidentales licet, præsupponunt, quas ipsæ virtutes necessario sequuntur: has tu profundo correptas lethargo, somnium Epimenidis dormire, nec eas intra hominem receptas, vires suas exerere autumabis? fructe tuis placitis, nos contrarium tuebimur.

### CAPUT III.

#### De Causis internis.

§. 1. Expendimus in præcedentibus causas extrinsecè P. S. influentes, & quidem tam mediatas, quàm Immediatas immediatione

z) l.c. p. m. 368.

α) l. c.

β) Exerc.

Sacr. l. 3.

cap. 13.

γ) Exerc.

Philol. d.

Sale c. 2. §.

δ) in ad.

rand. fo.

c. 4. p. 14.

ε) Disp. Ph.

de Aqua p.

fit. 2. §. 1.

Conf. &

sted. Enc.

clop. l. 13.

phys. Part.

c. 6. p. m. 7.

supponit, jam ergo & ipsæ intrinseco cauantes live immediatæ immed-  
diatione virtutis dispiciendæ veniunt. Cum verò hæ sint, quæ partum  
in esse suo constituent, an etiam in partum S. qua talem influant, ejusq;  
Physicam perfectionem causentur, investigandum.

§. 2. Et habet profectò principem in causando locum ipsum  
sperma, cum plerumq; omnes imperfectiones, defectus, monstrositates,  
quæ partui contingunt, solo, generantis materiæ aut abundantis, aut  
deficientis, vitio accidant, Conf. Cellar. ζ) Sic molam ex paucis &  
morbofo semine concepto, & multis ad illud confluentibus mensuris  
gigni auctor est Hippocrates. Quæ quidem Mola, anne absque Viri  
concurfu generetur, nunc non disquiro, quæ omnium fermè maxima  
est & Medicorum, & Philosophorum controversia, uti in utramque sen-  
tentiam magni nominis & Philosophi, & Medici magno numero pro-  
ducuntur à Zacchia, η) qui in eorum concedit sententiam, quæ Avi-  
cen. θ) Gordono, ι) & alijs tribuitur, statuentium, Molam sine usu  
viri, & fœminas & Virgines progignere posse, sic enim scribit: *Ex qui-  
bus denuò colligimus modum, quo Mola generatur: Siquidem naturâ  
conceptionis valdè avidâ existente, cum ex aliqua præternaturali, aut  
accidentali causa non licet illi verum conceptum ex utroq; semine pro-  
gignere, ex altero tantum procreare tentat, & solum muliebri semen con-  
cipit, retinet ac fovet sanguinem ad sui nutritionem.* Sed illicò sub-  
jungit, de non-vitalibus, non verò de vitalibus, hæc accipienda esse.  
Monstrorum causam genituram esse, quæ si debeatatem suam, tam  
quantitatis, quàm virtutis non obtinet, monstrosa sequitur proles. vid. B.  
Sperling. Philosophorum Phosphorus κ.) Notnag. λ) Prout ergo  
semen, ipsa causa subjectiva, quæ præcipua est, immediatè immedatio-  
ne virtutis esse monstrosæ prolis, quæ talis influit: ita & perfecti.

§. 3. Probat sententiam nostram Rallius μ) sic scribens:  
*Prout enim fieri potest, ut alius fœtus citius maturitatem ac perfectionem  
acquirit, alius tardius, idq; ob spirituum genitalium facultatem vel for-  
torem vel debiliorem, ita ob eandem causam aliqui citius, alij tardius in  
lucem prorumpunt: & post pauca, ν) Inesse verò ipsi semini citius, vel  
tardius maturandi fœtum, si cætera rectè se habeant, ex eo manifestum  
reddit Spigelius, quod illi fœtus, sive masculi sint, sive fœminei, qui ma-  
turius solent se movere in utero, maturius quoq; in lucem proferri con-  
sueverunt. Et quidem mirum non est, tale in hominum & viviparorum fœ-*

ribus  
-oggu

tempore arbor protulit, non eodem tempore maturescant, & ex arbore  
decidant. Hæc Rallius, Conf. & mn. ξ)

ξ) l. c. p. 6.

§. 4. Cæterum cum semen in classe substantiarum reductivè col-  
locetur, id, quò in actu substantiali contemplatur, nullam obtinere  
causalitatem, faciles damus, ex rationibus supra dictis; inquirendum  
ergò nobis incumbit in ipsas genituræ facultates, à quibus proximè flu-  
unt operationes. Cum vero semen, ut instrumentum, agat in virtute ef-  
ficientis, horum etiam quam plurimum sequitur facultates & virtutes.  
*Siquidem ex Patris semine, materniq; sanguinis profluvio & affluxu, mul-  
ta ad posteros solent derivari. Eadem enim vis & natura, quæ paren-  
tum semini inest, in natos diffunditur ac transfusatur, ait Lemn. o )*

o) l. c. l. i. c.

p. 87.

§. 5. Est ergò non minima facultas, ipsum temperamentum  
foëtis, quod plerumq; una cum alimento, imò cum ipso ortus sui prin-  
cipio, hæreditariò quasi jure à parentibus ad liberos transit. Un-  
de & facillimè filii similes nascuntur parentibus, quia cum ex eorum se-  
mine constant, similes ipsos sortiri temperaturas necesse est, ut loquitur  
Zacch. π) similia producit ex Hipp. ρ) Arist. σ) asserente: Non ob a-  
liam causam fieri, quam ob temperamentorum convenientiam, ac simili-  
tudinem, ut fœminæ matribus, mares, ut plurimum patribus similes sint:  
& ex Torqvæ, Tass. τ) Jurisp. Grat. υ) Hinc ergò patescit, Sobolem, à  
Parentibus calidæ temperaturæ, calidum etiam nasci temperamen-  
tum.

π) l. i. tit.

ρ) 3. num.

σ) lib. i. de

dicet.

σ) 7. de h.

anim. c. 5.

4. de gen

anim. c. 3.

τ) cant. 9.

υ) Discurs.

cur. c. 565

n. 56.

Φ) in l. ide

erit A de

stat. homi

χ) l. i. tit.

q. i. num. 11

ε) tit. i. q.

num. 51.

§. 6. Quò quis verò majore vi calefactivâ pollet, eò etiam ci-  
tius perfectionem assequitur, utpote calore celerius homogœna con-  
gregante, heterogœnaq; disgregante, deniq; alimentum elaboratius in  
substantiam ejus convertente; quod apud omnes Philosophos & Medi-  
cos in confesso est. Hanc causam omnes miro consensu maturioris foë-  
tus perfectionis reddunt. Inde etiam fit, ut mas multò citius absolva-  
tur, citius etiam nascatur ob calidum intensius, quam fœmina, quæ fri-  
gidioris naturæ, ut habet Glo. Φ) & Zacch. χ) à quo etiam Hostiensis  
hæc negans doctè refellitur.

§. 7. Deniq; & ipse sanguis menstruus, unicum fermè prolis nu-  
trimentum, multum ad celeriozem ejus absolutionem confert, si paulò  
largius eidem contingat, ac præterea etiam aptius elaboretur ac di-  
geratur. Exemplum à frugibus pete celerius adolescentibus maturescen-

tibusq;

niunt; & hoc exinde, quod illæ multo, hæ paullo gaudeant pabulo.

ψ) l.c. p.m. Adstipulatur nobis Rall. ψ  
371.  
ω) Disp. de Anim. in hom. plur.  
a) Disp. 2. & 3. de Anim.  
b) Tract. de form. hom. c. 6. p. m. 118.  
l) lib. 5. de loc. aff.  
d) l. 7. Inst. c. 4.  
e) Disp. 1. de Anim.

§. 8. Anne verò ipse actus substantialis physicus s. forma in causa sit P. S. expendendum venit, putem ergò causalitatem ejus hæc non simpliciter sollicitandam. Quandoquidem vero Anima alia sit Vegetativa, alia Sensitiva, alia intellectiva (Litem tamen, de animarum realiter in homine distinctarum pluralitate nunc non facio meam, qui his, adeat præter cæteros, pro affirmativa Hundeshag. ω) pro negativa Frenz: a) non tam absurdus sum, ut his quatenus formaliter spectantur, aliquem influxum tribuam: Jam ut huic & isti causalitatem denego, ita illi aliquid assignare nullus dubito. Vivimus enim primò vitam plantæ, post animantis, tertio hominis, ait. B. Sperling. b) Cum ergò vitæ plantæ, hoc est, animæ vegetativæ, facultates generationem hominis & ordientes, & continuantes, & perficientes, puta, nutrix, au-ctrix, procreatrix: & his ancillantes, attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, deniq; & formatrix, adscribantur; quarum hæc procreatrici; illæ verò nutrici inserviunt, conf. Galen. c) B. Sperling. d) Frenzel. e) facile liquet, Animæ vegetativæ, una cum causa sua coordinata, agenti, (actiones enim & passiones sunt suppositorum,) hæc aliquem concursum causativum largiendum esse.

CAPUT IV.

De Foetus Septimestris perfectione.

§. 1. Stravimus nobis in hætenus disputatis viam, dum abundè satis & luculentè (nisi vehementè fallimur) probatum dedimus, Naturam ipsam P. S. maturitatem & perfectionem suâ industriâ, & quidem ad ipsius Naturæ naturantis præscriptum, procurare; facili ergò negotiò nos expedire, ac in præsentem ejus perfectionem statuminare poterimus.

§. 2. Ea autem, quæ ad institutum nostrum non faciunt, sicco pertransimus pede. Mittimus ergò seminis in uterum receptionem, coagulationem, formationem; Mittimus, an solo nutriatur sanguine; mittimus nutritionis terminum à quo, ejusq; modum: mittimus ejus in utero situm: mittimus deniq; & ipsas faciem, per quas in Lucem prodit, angustias; quibus tamen sapissimè & perfecto vita præcluditur. Hæc & sexcenta alia, quæ præcisè, ut nobis impræsentiarum non inserviunt, & justum etiam exposcunt volumen, deniq; etiam quædam pro-

prohōbis facientia, vultuantei attacta, remouetur. vid. de his Hipp. f) u. au. Galen. g) Lemn. h) Arnifæ i) Carol. Annib. Fabrot. k) Collad. l) Laurent. de Nat. puer m) Plater. n) Spigel o) Sperling. p) g) lib. de astr.

§. 3. Ut autem infans sit perfectus septimō mense: necesse est, ut bile materia omnibus gaudeat, quæ ex parte ejus requiruntur, quod fiet, h) l.c. c. 23. si quantitatem tum extensivam, tum intensivā neq; excedat, neq; deficiat. i) Diss. de Quō in casu causa tota residet in parentib; quod si nāq; belluinō more part. hum. in mutuos amores, libidinantis naturæ vitiō acti, ruant, materiam o legia. term. m̄nium nobilissimam labefactant, & sic aut nullam, aut languidam pro- diff. 2. creant sobolem: si etiam justum tempus non observent, & naturæ & k) Exerc. de divino jure interdictum, legibusq; matrimonii abutantur, morbidum part. hum. ac languidum progignunt foetum. In hoc ergo negotio Lunæ circuitus term. observari debet, qui quatuor septimanis, h. e. plus minus octo & vigin- l) Observ. in ti dierum revolutione perficitur, quō temporis decursu, agitō vi Lunæ san- Laurent. gvine, menses mulieribus decurrunt, quibus de fluxis, uterōq; à menstruo Anatom. profluvio defecato, ut plerumq; quinto die assolet vel septimo, si ab eorum m) lib. hist dierum numero vir fæminæ congruatur, conceptum maximè naturalem Anatom, perfici contingit, adeo ut post. 7. vel 9. Mensis decursum infans in vitam n) Cent. Po productus, saluberrimus existat, ac nullis morbis, quibus infantia expo- stbū. quest sita esse solet, obnoxius, ut auctor est Lemn. q) & post pauca: Quocirca, Phys. inquit, cum in agri cultura ac satione, tum in adeundo concubitu, exco- o) lib. de lendoq; fundo muliebri ac procreandis liberis, etiam ex Mosis præscripto, Corp. hum. observandus est Lunæ decursus, cujusvi stas vicibus, menstrua fæminis Fabr. vel defluant, vel subsistunt. Hactenus Lemnius. Hinc porrō elucescit, qua ratione causam universalem respectivè talem, supra præcipuam p) l.c. q) l.c. hic obtinere causalitatem asseruerimus.

§. 4. Uti jam bonum semen fundo apricanti ingestum ac pingui, citius enascitur eo, quod sequi oris fortis. Sic etiam seminum princeps melioris notæ, agro muliebri fæcundiori illapsum, efformationem citius, nutritionem uberius, perfectionem maturius consequitur.

§. 5. Temperamentum calidum, tam ex parte procreantium, quam ex parte partus, ut & sufficientia alimenti, non minimo ejus perfectioni sunt adjumento: quò enim uberius sanguinem purum pervenam umbilicalem, attrahit, attractumq; bene concoquit, concoctum in substantiam suam convertit, eò etiam perfectior & validior se experitur.

§. 6. Quapropter concurrentibus his causis, nec aliudè impeditis, impossibile est effectum ipsum, secundum naturæ ordinem non sequi



sequi P. S. positis enim causis physicis in actu, invariabiliter & necessario necessitate Physica, & quidem tum necessitate efficientis, tum materiae, ponitur effectus. Non tamen simpliciter necessarium asserimus necessitate simplici & absoluta, quomodo ea necessaria dicuntur, quorum opposita sunt simpliciter impossibilia; sed cum addito, nec aliunde impeditis, & secundum ordinem naturae. *Nam ut ea tota dependet à prima causa, ita & ordo effectuum & causarum naturalium physicè necessarius. Deus non est alligatus causis secundis, sed quando vult naturam metas transgreditur. Quaecumq; ergo est causarum naturalium necessitas, ea subdita est potentiae divinae,* inquit Sum. Rev. atq. Magnif. Dn. D.

Calov. r) conf. & B. Sthal. s)

§. 7. Tandem à posteriori etiam colligitur P. S. perfectio, cum multi & infiniti ex iis, qui septimò mense in lucem editi fuerunt, omnibus numeris absoluti extiterint, & ad aetatem supremam usq; supervixerint, unde & Lemnius f) *Caterum, inquit, quòd ad septimum mensem attinet, novi complures apud Belgas maritimos etiam gemellos, qui ad extremam devexamq; aetatem crudo ac viridi corpore menteq; vegeta devenerunt.* Mox etiam subjungit exemplum. Multò verò plura congescit Schench t) Andr. Spigel, u) B. Dan. Sennert, x) medicorum lumen, quem Drexel. y) elogiò, viri multae lectionis ac diligentiae, maectat. Harv z) Deusing & alii. Cujus rei evidentia eò adegit Zacchiam, nobis alioquin cum paucissimis contrariam Lalaman. scil, a) & Fortunat. Fidel. β) ut idem, fateri necesse haberet. γ)

§. 8. Concludimus ergò ex dictis P. S. suam naturam perfectum & vitalem esse. *Atq; hac constans est Medicorum & Philosophorum, quotquot in hanc penè diem extitere, sententia,* ut inquit Hahn δ) ut Hipp. ε) Plat. ζ) Aristot. η) Plin. θ) Galen. ι) Alexand. κ) Soran, Ephes. λ) Marcob. μ) Avicen. ν) Theod. Prisc. ξ) Aver. ο) Horat. Augen. π) Codronic. ρ) Caranz, σ) Carol. Annibal Fabrot. τ) Nancel. υ) Lemn. φ) Sennert. χ) Sperling ψ) Rall. ω) & aliorum infinitorum Reliqua verò, quae hinc desiderari videntur, publico discursui reservamus.

Gal. de dieb. decr. β) l. 3. de Rel Med. c. 7. γ) l. 1. tit. 2. q. 3. n. 66. δ) l. p. 164. ε) l. cc. ζ) 5 de Reipubl. ver. med. η) 7. de hist. anim. θ) 7. nat. hist. c. 5. ι) lib. Sept. Part. κ) lib. 2. Probl. 48. λ) Jfag. in art. med. c. 16. μ) in somn. Scip. l. 1. c. 6. 21. tertii tract. 2. c. 1. ξ) ad Euseb. l. 4. ο) in Paraphr. 4. de Gen. Anim. c. 7. π) de art. hum. ρ) in method. testif. c. 14. α) de Part. τ) l. c. υ) in annal. Microcosf. ad Macrocosf. φ) l. 6. χ) d. 1. ψ) all. l. ω) l. c.